

armata, qua collisus ad scutum gladiis fiebat, & strepitus ciebat, ut ait Dionysius.

XIII.

Ita Pontificiorum quoq; Sacerdotes imagines quasdam è caelo delapsas, & ibidem ab Angelis formatas secum affervari gloriantur.

Lucenses imaginem Christi ab angelis factam, & vultum sanctum nominatam, se habere ajunt. Brixenses se crucem illam, qua apparuerit Constantino nactos ajunt, quod tamen etiam Curtonenses affirmant. Turonenses pugionem, & scutum Michaelis Archangeli monstrant.

XIV.

4. Sicut Ethnici ad benedictionem impetrandam, statuas sanguine, fumo & sacrificiis honorarunt & adorarunt.

Euseb. l. 3. de vita Constantini addit anathematum honorem. Arnobius l. 7. contra gentes parem cultum fuisse tradit, incensionem thuris antea ipsa Numinum signa. Sozomenus l. 2. c. 4. addit oblationem thymianatum & libaminum, qua Lactantius l. 6. c. 1. ita describit: focos adolent ac veteri vino madesaciunt, sacras dapes apparant & exquisitas epulas offerunt.

XV.

Ita Pontificii quoq; aurum, argentum, linum, ceram, imò ipsum sacratissimum, ut putant, corpus Dominicum in Missa, pro avertendis malis & impetrandis bonis offerre consueverunt.

Testantur Missa pro pace, salute vivorum, peccatis, nobismetipsis, temperatione carnis, pluvia, serenitate, infirmis, magna tribulatione, febricitante, humilitate, digna vita, peste animalium, defunctis. Item, Contra omnes tribulationes, fulgura pestilentiam, tentationes cogitationum, invasores Ecclesie, Paganos &c. celebrata.

XVI.

5. Sicut Ethnici priusquam imagines certam quandam formam representantes, templis inferrent, illas peculiaribus solennitatibus consecrarunt:

Euseb. de preparat. lib. 3. Statuas, inquit, formatas, certis deinde ritibus